DE IMMACULATO
DEIPARAE VIRGINIS MARIAE
CONCEPTU

INTER DOGMATICAS CATHOLICAE ECCLESIAE SANCTIONES

A PIO IX. PONT. MAX.

RELATO VI. ID. DECEM. MDCCCLIV

Carmen

A SALVATORE PISANO-VERDINO

SAC. THEOL. AC PHILOSOPHIAE DOCTORE
IN NEAPOLITANO LYCEO HUMANIORUM LITTERARUM ANTECESSORE
REGIAE HERCULANENSIS ACADEMIAE SOCIO
IN ALIQUOD PIETATIS IN VIRGINEM TESTIMONIUM
ELABORATUM.

NEAPOLI
APUD FERDINANDUM RAIMONDI
MDCCCLV.

CARMEN.

. . . . . Placuit Deo, ut amici sui pie dubitarent de Conceptione mea, ut quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret *in tempore praeordinato.* Ex S. Birgittae Revelat. lib. VI. cap. 55. Romae 1628.

Vera cano, pectus divino percitus oestro,
Quisquis adest, faveat, facilesque accommodet aures.
Quanta per Eoos series bacchata malorum
Sit fines, Christi cum septima curreret aetas;
Quem meminisse juvet, lacrymasve inhibere tepentes?
Effera gens Avarum Chagano principe caedes
Horrendas miscet, captis tot millibus, eheu!
Turpiter insultat, cervices truncat inertes,
Quas redimi nolit vili Mauritius asse. (1)

(1) Chaganus Avarum Rex, rupta pacis foedera a Mauritio vindicaturus, cum ejus copiis diu decertavit varia fortuna; at, captis decem millibus Romanorum, eos redimendos obtulit Mauritio, quarta parte unius nummi in singula capita postulata. Cum eos Mauritius detrectasset redimere, Chaganus omnes jugulari immaniter jussit, ut homines nullius pretii. Legendus est Theophanes Chronogr. qui ita eum Mauritii legatos alloquentem inducit: Κρινει ο Θεος ανα μεσον εμου, και Μαυρικιου αυτοκρατορος· αυτος γαρ την ειρηνην διελυσεν· εγω δε τους αιχμαλωτους αποδιδωμι αυτω κατα την ψυχην νομισμα εν κομιζομενος παρ αυτου. Ο δε Μαυρικιος ουκ ηνεσχετο δουναι. Και παλιν ο Χαγανος ητησατο ανα ημισους λαβειν κατα ψυχην· και ουδε ουτως ο Βασιλευς δουναι κατεδεξατο, αλλα ουδε τεσσαρων κερατιων λαβειν. Και θυμωθεις ο Χαγανος παντας απεκτεινε. Mauritius tantam avaritiam detestatus, Deum enixis precibus exoravit, ut tantae immanitatis poenas a se in hac vita potius repeteret, quam post mortem. Quare, cum Phocas filios ante suos oculos caederet, nihil aliud protulit, quam *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.*

Cujus avaritiam Phocas ulturus iniquam,
Ante oculos Patris natos detruncat, et ipsum
Sanguine natorum madefactum trajicit ense.
Dirus at in gentes, regnandive inscius artis
Praestantes virtute viros mactavit, et una
Foedera nulla tori servans temeravit inique. (2)
Hinc ardens Afris venit Heraclius ab oris,
Vi potitur, truncat miseranda caede tyrannum.
Attamen haud fulget populo spes ulla salutis,
Tristia uti positis mitescant saecula bellis.
Nam sanctae Sicyone Crucis vexilla, ferentum
Olim sponte sua manibus sublata, pavorem
Injiciunt, quidnam portendant omina dira.
Tum Theodorus ait, cui mens praesaga futuri: (3)
« Eheu! quam tacuisse velim! bella horrida cerno,
« Christicolûm multo pollutos sanguine campos.
« Barbarus adveniet Dux, atque a culmine sternet
« Urbes, caede viros, pudibundaque vincula captis
« Nectet. Relligio quot, quantaque damna subibit!
« Desertaeque domus sanctae, pietasque soluta,
« Hostis et infensus de Christo indignus ovabit. »
Evenere. Etenim victricia Chosrois arma
Circumfusa, velut montano flumine torrens
Diluvium meditatur agris, florentia regna
Invadunt, sternunt, ferro populantur, et igni.
Heu! quantum sacro Iordanus sanguine spumat!
Millia Christicolûm volvuntur corpora in undis. (4)

---

(2) Phocas eadem immanitate, qua imperium est adeptus, illud administravit, atque dum Chosroes Persarum Rex Romanos fines populatus cuncta devastaret, ipse obscenis se libidinibus, ac Principum sanguine satiabat. Quare ab Heraclio Africae Praefecto, qui inde solvit minitabundus, comprehensus trucidatur. Theop. Chron.

(3) De hac praedictione Theodori Siceotae vide Henrion *Storia universale della Chiesa* lib. 21. ex Vita S. Theodori apud Bolland. tom. 2. c. 14.

(4) De Chosroe anno a Christi nativit. 614. haec habet Theophanes Κρονογ. *παρελαβον οι Περσαι τον Ιορδανην, Παλαιστινην, και την αγιαν πολιν πολεμω, και πολλους απεκτειναν*

Diripiuntur opes, spoliantur templa, domusque;
Quin Crucis et lignum, nostrae spes certa salutis,
Finibus abreptum patriis vectatur in oras
Externas: luctus miseris hinc undique victis;
Victorum ast animos heu! quanta superbia tentat.
Insultant precibus magni Ducis, atque verenda
Christi relligio cunctis damnanda jubetur.
Exhorrent animi, coit in praecordia sanguis:
Aspera quaeque pati, ad pietatem cuncta referre
Christicolam decet, auxiliumque rogare Tonantis.
Hinc Heraclius, collectis undique turmis (5),
Persas aggreditur; multa vi praelia tentat.

εν αυτῃ δια χειρος των Ιουδαιων, ως φασι τινες, μυριαδας εννεα· αυτοι γαρ ωνουμενοι τους Χριςιανους καθ'ην ηυπορει εκαςος επεκτεινεν αυτους. Ζαχαριαν δε τον Πατριαρχην Ιεροσολυμων, και τα τιμια, και ζωοποια ξυλα λαβοντες συν αιχμαλωσιᾳ πολλῃ εν Περσιδι απηγαγον. *Occuparunt Persae Iordanem, Palaestinam, et sanctam Urbem bello, et multos occiderunt in ea per manus Iudaeorum, ut ferunt quidam, nonaginta millia: ipsi enim ementes Christianos, pro suis quisque facultatibus, eos interficiebant. Zachariam autem Patriarcham Hierosolymorum, et pretiosa, et vivificum lignum (Crucis) capientes cum innumera captivorum multitudine in Persidem abduxit.* Paul. Diac. Rer. Rom. lib. 18. c. 6. Eodem anno Aegypto, Alexandria, Lybiaque potitus est. Quibus fractus calamitatibus Heraclius pacem a Chosroe supplex petiit: at ille *nullam fore conditionem pacis superbe respondit, nisi ejurata Christi religione, Solem Deum venerarentur:* Ου φεισομαι υμων, εως αν αρνησησθε τον εςαυρωμενον, ον λεγετε Θεον ειναι· και προσκυνησητε τῳ ηλιῳ. *Theoph.* Quin et immani crudelitate insectatus est Christi Confessores in Ægypto, Lybiaque. Henr. Epaphr. c. 35. Theoph.

(5) Heraclius, transportatis anno 621. in Asiam copiis, cum Chosrois Ducibus saepe bellavit; ac maximis eorum copiis deletis, in Persidem irrupit anno sequenti. Chosroes desperatis omnibus rebus, in fuga Merdasen juniorem filium sibi successorem destinavit. Quod atrociter ferens Siroes natu major, in patrem, ac fratrem cum Persarum primoribus conspirans, utrumque trucidavit: pacem cum Heraclio iniit, captivos reddidit, ac provincias captas, ac Crucem in primis, quae primo Vere anni 627. Hierosolymas fuit solemni pompa per Heraclium transvecta. *Niceph.* Brev. Theoph. Paul. Diac. Zonar. Cedren. aliiq.

Christicolae in ferrum pro relligione ruebant;
Persae indignantur, quod tanta superbia victis.
Concurrunt acies, fremitusque ardescit equorum;
Spicula torquentur letalia grandinis instar,
Mille trahunt clypeis trajectis vulnera, mille
Sternuntur, ponuntque animas cum sanguine tristes.
Connixi incurrunt hastis; at fulget ab axe
Crux radiis redimita novis, qua terror in hostes,
Spes nova Christicolis surgit, Persasque fatigant.
Turbatas acies, gemitus morientum, sanguine in alto
Corpora, et arma vides, permistos caede virorum
Quadrupedes: acies Persarum extrema repulsa
Falcatos agitans currus ad moenia tendit:
Insequitur victor, oriturque miserrima caedes.
Diffugit et Parthus Rex, Medarsenque salutat
Regem, quod Siroes animo non pertulit aequo,
Implicitosque fuga fratrem, patremque cecidit:
Foedera pacis inît captas et reddidit urbes.
Vix quartus decimo magnus successerat orbis,
Reddita cum Crux Iudaeas remeavit in oras.
Quidve Muhammedis bellorum incendia dicam? (6)
Qui falsa pietate, dolisve instructus in arma
Impulit et populos, durum multasque per urbes
Protulit imperium, cultum decrevit iniquum.
Quot caedes hominum, quantos furor occupat amens!
Heu! veteres gentes, Christi loca sanguine sacra
Ingemuere jugo, saevaque tyrannide pressae!
At bellum interius, multoque nocentius una
Exarsit, totum saevît Discordia in orbem.

---

(6) Heraclio regnante, perniciosissima pestis Mahumetana orbem invasit, quae ex colluvie sectarum omnium, adjuvante Sergio Monacho Nestoriano, confarcinata a Muhammede subdolo, ac vaferrimo viro, decem annis clanculum serpsit, Theophane teste, ac novemdecim postea tum dolis, tum vi, ac ferro per rudes populos propagata fuit, ac tot bellis grassantibus longe, lateque diffusa, Palaestinam, Syriam, Ægyptum, Heraclio regnante, sibi subjecit, ac Persidem totam anno 640. subjugavit. Theoph. Miscel. 18. c. 58.

Funera dira parant sanctis, quibus *una voluntas* (7)
In Christo placuit. Veterum sacra dogmata Patrum
Evertunt, errore novo stant Eutichis acta.
Quin ad laeta greges deducant pascua vitae,
Usque venenatos fontes, herbasque nocentes
Praebent Pastores populorum Athanasius atrox (8),
Sergius (9), et Cyrus (10), Paulus (11), Pyrrusve ne-
(fandi, (12)

(7) *Monothelitarum* haeresis, qui *unam* in Christo et personam, et *voluntatem* asserebant, Eutichis damnatos errores Synodo Chalcedonensi restauratura, initium duxit a Theodoro Pharanita Episcopo, Eutichianis partibus favente; incrementum vero ab Athanasio Iacobitarum Patriarcha, qui Hierapoli Imperatorem Heraclium, jam de Persarum triumpho reversum, sibique pollicentem Patriarchatum Antiochenum, modo Chalcedonensi Synodo subscriberet, interrogavit; *duasne crederet in Christo Voluntates, et Actiones, an unam tantum?* Tunc Imperator vocis novitate externatus, consilium petiit a Sergio Constantinopolitano, et Cyro Alexandrino Episcopis jam Monothelismo infectis. Cum itaque concordes cognovisset, in eorum insidias delapsus, magna animi levitate fidem orthodoxam amisit, ac partam tot triumphis gloriam obscuravit.

(8) Athanasius, vel Anastasius, Iacobita Heraclium in Monothelismum impulit, cujus ipse propagator fuit, et aliquot etiam Martyres fecit. Vide Baron. Ann. Ch. 625. 5. et seq.

(9) Sergius I. Constantinopolitanus Patriarcha, gente Syrus, Ecclesiam illam pluribus annis rexit sub quadam falsa pietatis specie, cum Acephalorum, Iacobitarum, et Monothelitarum erroribus adhaereret; Heraclio persuasit, ut *Ecthesin* ederet, quam Italiae, Africaeque Episcopi refutarunt. Obiit anno 639. Ejus memoria damnata fuit Concilio Generali VI. Constantinopolitano II. Act. 13.

(10) Cyrus Patriarcha Alexandrinus ementito orthodoxiae cultu pluribus imposuit. Obiit ann. 640. Damnatus et ipse VI. Concilio Generali Act. 13.

(11) Paulus II. Monothelita a Constante Imperatore, Heraclii Nepote, Constantinopolis Episcopus constitutus, haereseos venenum in Africam usque effudit A. C. 646. Excommunicatus a Theodoro Papa legatos ejus verberari, atque ex urbe extrudi jussit. Imperatori auctor fuit, ut *typum* (vel fidei normam) ederet. Obiit an. Ch. 651. Ejus memoria damnata eadem Synodo, atque nomen a Dypticis erasum. Baron.

(12) Pyrrhus Monachus Monothelita Sergio successit in

Atque veneniferam tendunt infundere mentem
Principibus, quorum vi stet sententia firma.
Quot ciet heu! turbas prava *Ecthesis* illa (13), *ty-*
(*pusque*! (14)
Quantus et inde cruor fluxit! Tu Maxime (15) testis:

Constantinopolitana Cathedra ann. 639. Cum conscius haberetur caedis Imperatoris Constantini, in Africam profugit, ubi a Maximo orthodoxiam hausit. Sed in Italiam veniens, cum haereseos venenum denuo spargeret, a Ioanne IV. anathemate percussus fuit. Postea tamen Sedi restitutus ann. 652. quarto post mense misere obiit. Theoph. Χρονογ.

(13) Cum Sergius Constantinopolitanae Ecclesiae praeesset, atque Monothelitis faveret, *Ecthesin*, seu *explicationem Fidei* scripsit, quam Heraclio Imperatori, ejus vafritie in errorem delabenti, subscribendam dedit, ac promulgandam per imperium. Hanc Ecthesin Synodus Constantinopolitana a Sergio convocata, et Alexandrina, a Cyro ejusdem furfuris coacta, confirmarunt. *Maximus* tamen Abbas in disputatione cum Pyrrho habita acerrime impugnavit, *ut invalidam, et contra canones*. Rejecerunt pariter Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, omnes Africae, Italiaeque Episcopi; et Severinus Roman. Pontifex, et qui secuti sunt brevi intervallo, Ioannes IV. Theodorus I. et Martinus I. anathemate damnarunt.

(14) *Typus* a Constante Imperatore Heraclii Nepote perscriptus, opera, et consilio Pauli Constantinopolitani Episcopi, quo acerrimis tunc vigentibus de Monothelismo controversiis silentium imponeretur. Sed Theodorus Papa, coacta Romae Synodo, typum, Paulumque damnavit; quod cum et Martinus ejus successor, Synodo e centum, et quinque Episcopis Romae habita, fecisset; per fraudem Constantinopolim abreptus, et inde Chersonesum in Ponto deportatus, aerumnis confectus periit. Vide Anastasium, Platinam, Baron.

(15) Maximus Constantinopoli nobili loco natus, pietate, et doctrina longe commendandus, cum Monothelismum grassari in Oriente videret, Episcopos ubique locorum est cohortatus, ut serpenti malo occurrerent; plures regiones pervasit; cum Pyrro acerrimam concertationem de Monothelismo habuit, ac profligavit. Quare Pyrrhus Romam veniens, Anastasio teste (in vita Theodori) *libellum obtulit cum sua subscriptione Apostolicae Sedi in praesentia Cleri cuncti, et populi condemnans in eodem libello omnia, quae a se, vel a decessoribus scripta, vel acta sunt adversus im-*

Nam neve integritas morum, aut longaeva senectus,
Nec doctrina feros retinet, radicitus ausint
Vellere quin linguam, dextramque abscindere ferro,
Verberibusque secent insontis membra cruentis.
Vos et Anastasii (16), vel Taurorum exul in oris
Te, Martine, (17) aetas non unquam tarda tacebit.
Numinis hinc furor aeterni, vindexque sacrorum
Excitus; atque Araba Saracenos gente reduxit (18)
Devastaturos Orientis regna vetusta,
Regnantesque ipsos caedi devovit iniquae. (19)
Hispana regione tamen florere videtur
Relligio, studiis culta, ac pietate Isidori, (20)

---

maculatam fidem nostram. De ejus martyrio sic Theophanes in Κρονογ. Μαξιμον τον σοφωτατον ομολογητην εγλωττοτομησε, και εχειροκοπησε, και πολλους των ορθοδοξων αικιαις, και εξοριαις, και δημευσεσι κατεδικασε δια το μη πειθεσθαι τη αιρεσι αυτου· και τους δυο Αναστασιους μαθητας υπαρχοντας του ομολογητου, και μαρτυρας Μαξιμου εξοριαις, και βασανοις επεδωκε. *Maximum eruditissimum Confessorem lingua mutilavit, et ejus abscidit manus* (Constans); *multosque praeterea Orthodoxos, suam nimirum haeresim approbare recusantes verberibus, exiliis, atque proscriptionibus insectatus est; geminosque tandem Anastasios, Confessoris, et martyris Maximi probatos discipulos, exilio, et cruciatibus subjecit.* Agit de iis Romanum Martyrologium idibus Aug.

(16) De his supra in de Maximo. Vide etiam Henrion loc. cit.

(17) Vide supra notata 14. et Martyrologium Romanum pridie Calendas Novembris, et Ecclesiasticos Chronographos.

(18) Ita Theophanes Κρονογρ. quarto post anno a morte Martini: Τουτῳ τῳ ετει επεστρατευσαν οι Αραβες κατα Ρωμανιας, και πολλους ηχμαλωτευσαν, και πολλους τοπους ηρημωσαν. *Hoc anno Arabes eductis copiis per Romanam ditionem, captivorum multitudinem immensam abegerunt, et in plures provincias vastitatem induxerunt.*

(19) *Constans* cum anno 654. infelicissime navali praelio cum Saracenis certasset, ac odio cunctis esset pro fratris morte, Constantinopolis pertaesus in Italiam venit, atque cum Longobardis nihilo secundiore Marte conflixit. Ea clade irritatus Romam expilavit, in Siciliamque trajiciens sexto post anno in balneo fuit interemptus anno 668. Theoph.

(20) Isidorus Archiepiscopus Hispalensis tum pietate, tum doctrina Hispanias illustravit. Obiit 638. Vide Breviar. Rom. 4. April.

Atque Ildefonsi, quem Toletana Cathedra (21)
Accepit patrem, summo complexus amore.

---

(21) Ildefonsus, vel Alphonsus, Toletanus Episcopus, prius Abbas Agaliensis, Virginis Matris amantissimus, libros edidit *De perpetua Virginitate S. Mariae, et de ejus parturitione,* in quibus tum veteres illius hostes exagitavit, tum Philosophos quosdam sui temporis, qui impia quaedam, ac parum cauta disserebant, acerrime est insectatus. Nam sic legimus: *Pro qua* (scilicet virginitate Mariae) *jam olim B. Hieronymum contra Helvidium haereticum, et contra ejus complices scripsisse legimus; quos ita debellavit, ac devicit, ut deinceps usque ad praesens nihil recidivum erroris contra eam surrexerit. Sed quia quorumdam nunc fratrum impudica, quasi percunctando, laborat temeritas; decrevi scribere, quae ipsi curiosius contra ejus pudicitiam, quam religiosius, conantur explorare.* Tanta autem vi argumenta aliorum diluit, ut vulgo in proverbium venerit *Ensis in offensis erat Abbas Agaliensis;* et a B. Leocadia e tumulo excitata ei fuerit acclamatum: *O Ildefonse per te vivit Domina mea.* In illis autem libris luculentissime de immaculata Virginis conceptione edit suam sententiam. Iuvet hic referre illud *Nullis, quando nata est, subjacuit delictis, nec contraxit in utero sanctificata originale peccatum.* Et alibi: *Constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solum maledictio matris Evae soluta est; verum etiam et benedictio omnibus datur.* Et alibi similia habet. In quibus locis evidentissime suam sententiam edidisse Ildefonsum clarissimis argumentis evincit Franciscus Bivarius in Opere inscripto *Sancti Patres vindicati a vulgari sententia, quae illis in controversia de Immaculata Virginis conceptione imputari solet.* Ildefonsum a Beatissima Virgine munere decoratum, candidissima nempe veste angelicis manibus elaborata, tradit Martyrol. Roman. 23. Ianuarii his verbis: *Toleti S. Ildefonsi Episcopi, qui ob singularem vitae integritatem, susceptamque defensionem adversus haereticos, Dei Genitricis virginitatem impugnantes, ab eadem candidissima veste donatus est.* Ruder. 2. c. 22. Petav. Rat. Tem. lib. 8. c. 2. Archiepiscopus autem Toletanus factus primus ex Occidentis Episcopis festum immaculatae Conceptionis in Ecclesia sua sanxisse visus est Edmundo Martene *De antiqua Eccles. disciplina in divinis celebrandis Officiis* cap. 30. §. 12. Nam in ejus vita Saeculo II. Benedictino legitur: *Festum Conceptionis S. Mariae, quo scilicet ipsa concepta est, celebrari constituit, et ejus constitutione per totam Hispaniam solemni-*

Cum excitat Helvidii documenta Haebraeus iniqua;
Intactaeque infert bellum crudele Mariae;
Putida quam docte, et sancte commenta refellit!
Dum prece ferventi Christum exoraret, ut apto
Virginis integrae dotes sermone perennet;
Mente super coeli rapitur sublimia, verba
Hac indicta tenus sensurus lumine divo,
Quae definito sint evulganda per orbem
Tempore. Namque Dei perfusus lumine legit,
Quod fuit aeternum, fiet labentibus annis;
Nullus enim aeterno finis describitur aevi.
Hic perscripta manet primaevi culpa parentis,
Quae maculet cunctos terreno sanguine natos:
Hic reparator adest operis, quod proferet olim
Verbum ipsum Patris, verum de Numine Numen;
Assumta sed carne hominum de Virgine natum,
Quae patre terreno primaeva labe careret.
Ut Princeps nullis adstrictus legibus extat (22);
Principis arbitrio solvetur sic sua Mater.
Namque redemtricis sancto si munere fungi
Cum Nato valuit; culpa redimeretne redemta?
Hanc Pater elegit, nec erat dum conditus Orbis;
Hanc Verbum Matrem, nec Numine cuncta potenti
E nihilo fiunt: Hanc Spiritus unus obumbrat,
Neve ferebatur super undas cuncta volutans.

---

ter colitur VI. idus Decembris. Trithemius etiam adsentitur; licet Salazar. de Con. B. M. V. cap. 35. cum Busto auctorem faciat Gondisalvum Episcopum Tholosanum ante ann. 800. Nihil tamen prohibet dicere, quin Gondisalvus illud festum ab Ildefonso prius institutum in Hispania, in Tholosanam Ecclesiam primus invexerit.

Hinc facultas data Poëtae fingendi Ildefonsum quodam mentis aestu in Deo vidisse, quid de B. M. V. decretum ab aeterno fuerit in *Triadis Sanctae* consilio, et quid eventurum esset saeculis labentibus de hoc festo.

(22) Ita in jure civili cautum ff. de Legib. 1. *Princeps* his verbis: *Princeps legibus subditus non est: Augusta vero, licet subdita, Princeps tamen eadem privilegia illi concedit, quae ipse habet.*

Haec praedicta prius calcare feri caput Anguis,
Quam dura in sontes sententia justa feratur (23).
Haec signis expressa: Leo Samsone peremtus (a),
Ne Matri occurrat nociturus, denotat istud.
Hanc signat, forma qua nulla decentior, Esther,
In quam mortiferae cesset sententia legis (24).
Haec obsignatus fons, haec conclusus et hortus (b):
Haec speculum sine labe (c): patens haec janua nulli (d):
Hostibus infensis impervia eburnea turris (e):
Palma Cades, celso quae vertice tendit ad astra (f):
Incorrupta Cedrus, brumaque illesa cupressus (g):
Ipsa Columba nitens, (h): in sentibus ipsa ligustrum (i):
Ista colenda tibi primaevi criminis exsors,
Temporibus priscis tenuit ceu Ecclesia Graeca (25).

(a) Iudic. 14. 5. et 6. (b) Cant. 4. 12. (c) Sap. 7. 26. (d) Ezech. 44. (e) Cant. 7. 4. (f) Ecclesiast. 24. 18. (g) Ibid. (h) Cant. 6. (i) Can. 2. 2.

---

(23) Bernardus in hanc sententiam scripsit homil. 2. super *Missus*: *Missus est Angelus ad Virginem non noviter, nec fortuito inventam, sed a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam, et sibi praeparatam. Scrutare scriptura, et proba quae dico. Ut pauca loquar de pluribus, quam tibi oliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: Inimicitias ponam inter te, et mulierem? Et si adhuc dubitas, an de Maria dixerit, audi quod sequitur: Ipsa conteret caput tuum. Cui haec servata victoria est, nisi Mariae? Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum.* Iacobus de Parez Episc. Chrysopolitanus *in Canticum Mariae* monet prius Deum minas intentasse serpenti, et postea sententiam dixisse in Adamum, et Hevam, ut intelligamus Mariam praeventam fuisse, et liberatam a communi maledictione hominum, et mulierum.

(24) Legesis caput 15. Esther, et praecipue verba illa Assueri: *Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere; non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est.*

(25) Quod Patres Graeci antiquissimis usque temporibus duxerint Virginem singulari praerogativa praeservatam fuisse, lege Dissertationis II. Caput III. §. 5. et seq. Francisci Devera in libro, cui titulus *Deipara, ejusque cultores.*

Plausibus excipiet reliquum diffusus in orbem
Christicolûm coetus; simul ambagesque resolvet (26):
Hac sancta maneant in relligione nepotes.
Sanciet Erviges Iudaeis esse nefastam (27)
Hanc luçem; sacrisque suis Aquileïa festis (28)
Adsciscet: prior Helchinus praescribet in Anglis (29)

---

vindicati a querelis Lamindi Pritanii etc. Neapoli *excuso* 1753. De festo autem ab eis celebrato, licet nona die Decembris, vetustissima habemus testimonia. Georgius Nicomediensis Episcopus, qui sub Heraclio Imperatore floruit, in sermone ms. Codicis Bibliothecae Sfortianae num. . testatur hoc festum *non novissime institutum*. Extat etiam, Baronio testante (notis in Martyr. 8. Decem.) in eodem Codice num. 65. alius sermo Imperatoris Leonis de Conceptione B. Mariae. In Constitutione autem Emanuelis Comneni *de diebus festive celebrandis*, quae refertur a Theodoro Balsamone in Nomocanone Photii tit. 7. cap. 1., recensetur inter alias dies *nona Decembris*, *utpote quod in ea peragetur Conceptio castissimae matris Dei nostri*. Adhaec narrat Matthacus Paris ann. 1228. Armenorum Patriarcham, qui in Monasterium S. Albani diverterat, benigneque erat exceptus, interrogatum a quodam Monacho ei adsidente, *an in suis partibus Conceptio B. M. celebraretur*, *respondisse: Celebratur*.

(26) Quanto cum ardore hoc festum defenderint acutissimi scriptores contra levia quorumdam argumenta, vide tum amplissimas dissertationes Devera num. superiore relatas, tum Ludovici Bail Tract. de Beata Virg. 3. par. Theol. Affectivae, tum passim Theologos Scholasticos, e quorum fontibus etiam nos in posterum quaedam delibabimus.

(27) Erviges, vel Ervigius, qui Visigothis imperavit in Hispania ab anno 680. ad 689. lib. 12. Leg. Visig. tit. 6. inter festa Christianorum Iudaeis observanda recenset: *Festum S. Virginis Mariae, quo gloriosa Conceptio ejusdem Genitricis Domini celebratur*. Nec Thomasinius audiendus, qui legem intelligendam censet *De festo concepti a Virgine Christi*, ut jure monuit Alexius Symmachus Pelliccia *de Christ. Eccl. Polit.* lib. 4. Sect. 2. Cap. 2. §. 9. quamvis nullum verbum faciat de Martene, et aliis supra relatis num. 25.

(28) Fridericus Patriarcha Aquilejensis, qui obiit anno 897. in suis Ecclesiis festum hoc egit, ut ex lib. 4. *Ligni Vitae*. colligit Gav. Thes. Sac. Rit. Sec. 7. Cap. 2. §. 8.

(29) Helchinus, vel Helvinus, vel Helsinus (tot variis no-

E coelo monitus, pelagique ereptus ab aestu;
Anselmusque pio matris flagrabit amore (30).

minibus refertur a scriptoribus) Abbas Ramossensis cum e Dania reverteretur, functa pro Rege suo legatione, tanta maris tempestate fuit afflictatus, ut in summum vitae discrimen cum suis venerit: quare Virginis Mariae opem supplex imploravit. E vestigio apparuit Episcopus quidam, qui eum incolumem cum suis evasurum spopondit, modo promisisset, se Conceptionem Matris Christi VI. idus Decembris celebraturum, et celebrandam praedicare. Quod et praestitit fideliter. Id actum aetate Divi Anselmi, tunc temporibus illius Monasterii Prioris. Vide hanc historiolam e ms. Breviar. Eccl. Turonens. depromtam a Martene loc. cit. et pluribus argumentis confirmatam a Bivario Op. cit. pag. 181. et seq.

(30) S. Anselmus Cantauriensis Episcopus, ac Virginis Mariae studiosissimus per totam Angliam, ac maxime Cantuariensem Ecclesiam hoc festum celebrandum curavit, licet eruditi non genuinam putent epistolam, quae Anselmo tribuitur, ac legi potest apud Bivarium Op. cit. pag. 191. cujus initium: *Conceptio venerandae Dei Genitricis* etc. *cum multa habeat, quae eidem Auctori repugnent*, ut verbis, et auctoritate utar Baronii in Notis ad Martyr. 8. dec. (non Christiani Lupi, ut ajebat Benedictus XIV. *Feste di Gesù Cristo, e di Maria hoc festo.*) Patet enim ex scriptoribus supparibus aetate, quos refert loc. cit. Bivarius, et auctoritate Concilii Londinensis anno 1328. habiti, Anselmi curis id festum potissime propagatum. Sic enim legitur: *Venerabilis Anselmi Praedecessoris nostri, qui post alia quaedam ipsius antiquiora solemnia Conceptionis solemne superaddere dignum duxit, vestigiis inhaerentes statuimus, et firmiter praecipiendo mandamus; quatenus festum Conceptionis in cunctis Ecclesiis nostris Cantuariensis Provinciae festive, et solemniter de caetero celebretur.* Ex qua auctoritate non eruendum putamus tunc primum festum Conceptionis in Cantuariensi Provincia celebratum; sed jam observatum per universam Provinciam festive, et solemniter recolendum decrevisse Synodum Londinensem. Nam Gaufridum Abbatem, qui obiit anno 1146. septem, et triginta post annis ab Anselmi obitu *illud festum in cappis celebrari mandasse* scribit Matthaeus Paris in *vitis Abbatum S. Albani*. Cum autem temporis intercapedine pietas refrigesceret, illud festum non ab omnibus celebrabatur; unde in Synodo Oxoniensi celebrata sub Honorio III. anno 1222. canone 3. Stephanus Cantauriensis Archiepiscopus statuit: *Omnia festa B. Mariae Virginis sub omni veneratio-*

Gallia sollicitis studiis complectitur, atque
Lugdunum, sibi quod primas bene vindicat inter
Ecclesias Gallas Doctore sub Irenaeo,
Mariam colit omnino de labe carentem;
Nec deterretur Bernardi voce fidelis,
Gallia quin tota indicat solemnia in annos (31).

---

ne serventur, praeter festum Conceptionis, cujus celebrationi non imponitur necessitas. Quare Sinodus Londinensis Anselmi vestigiis inhaerens, ac fidelium pietatem in Virginis Conceptionem excitatura, solemniter celebrandum decrevit.

(31) Galliae Ecclesias minores vel sua pietate, vel Hispaniae, Aquilejae, Angliaeque exemplis incitatas Conceptionis Deiparae festum celebrasse, clare eruitur ex epistola 175. S. Bernardi ad Lugdunensem Ecclesiam data: *Et sane quidem*, ait, *apud alios errorem compereram, sed dissimulabam; parcens devotioni, quae de simplici corde, et amore Virginis veniebat.* Cum autem Divus Anselmus Cantaurensis Archiepiscopus, a Guilielmo II. Angliae Rege exagitatus eo quod Ecclesiae jura tueretur, Lugdunum se contulisset; ibi plures per annos, ut Edinerus ejus vitae scriptor, et peregrinationis comes enarrat, tam benigno hospitio exceptus fuit ab illius Ecclesiae Episcopo Hugone; *ut habitus sit non sicut hospes, aut peregrinus, sed vere sicut indigena, et loci Dominus. Unde nusquam ipsius urbis Antistes, eo praesente, suo volebat loco praesidere, sed, praesidente ubique Anselmo, ille mira humilitate, et honestate praeditus, inferioris, et quasi suffraganei loco simul, et officio fungebatur. Super haec ut Episcopale officium per totam parochiam suam pro velle exerceret, erat in voluntate ejus, ac deliberatione. Quod ubi per loca vicinia innotuit, illico frequens populorum concursus factus est, unctionem sacri chrismatis per impositionem manus istius postulantium sibi conferri. At ille omnes ad gratiam ipsius sacramenti admittebat ita, ut saepissime in hoc totus dies expenderetur, et nos, qui ei ministrabamus, gravi taedio afficeremur, ipso semper jucundo, et hilari vultu existente. Crevit autem ex hoc in eum mira quaedam, et incredibilis dilectio omnium, et bonitas ejus divulgabatur per circuitum.* Hinc facillimum fuit, ut Anselmus, relata Helchini visione (quae tunc temporis accidit, cum Anselmus Prior esset in Ramossensi monasterio, ut probat Bivarius loc. cit.) et sua ipsius auctoritate Conceptionis Deiparae sententiam, et festum in ea Ecclesia diffunderet, ut pluribus evincere studet Bivarius, et erui facile potest ex epistola ipsa Ber-

nardi, qui meminit visionem Helchini cum ait: *Sed profertur scriptum supernae, ut ajunt, revelationis, quasi et quivis non queat scriptum aeque producere, in quo Virgo videatur idipsum mandare de parentibus suis juxta Domini praeceptum dicentis: honora patrem tuum, et matrem tuam.* Quicquid autem sit de primo hujus Festi auctore inter Gallicas Gentes, illud exploratum est Lugdunensem Ecclesiam ineunte saeculo XII. hoc festum instituisse. Quare exarsit Divi Bernardi zelus, ut scriberet epistolam illam, hujusmodi festum reprobaturus: quae licet a quibusdam *apocrypha* habeatur; tamen eruditorum acutae naris sententia genuinus Bernardi partus est censendus; *nisi tamen* (ut jure monebat Theophylus Raynaudus in *Diptychis Marian.* t. 7. p. 148.) *omnes Divi Bernardi epistolas ei abjudicare placeat.)* Nec scriptores compares Bernando aetate, de genuitate epistolae dubitarunt, ne memorem suppares scriptores Alexandrum Alensem 3 part. q. 9. Albertum magnum in 3. dist. 8. art. 3. Divum Bonaventuram in 3. dis. 3 qui de Bernardi epistola mentionem fecere. Coaevi certe fuere Nicolaus Monachus S. Albani, et Petrus Cellensis Bernardo familiaris, et Episcopus Carnotensis, alter quorum Bernardi zelum improbaturus ad Cellensem scripsit, alter eum purgaturus perstrinxit detractorem; sed neuter Bernardinae epistolae genuitatem in dubium vocavit. Sed Bernardi pietas nequaquam obfuscatur, cum id tantum aegre tulerit Lugdunensem Ecclesiam, non explorata Romanae sedis auctoritate, huiusmodi festum indixisse hactenus inusitatum. Ceterum ita concludit Bernardus: *Quae autem dixi, absque praejudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanae Ecclesiae praesertim auctoritati, atque examini totum hoc, sicuti et cetera quae hujusmodi sunt, universa reservo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.* Iure igitur Canisius *De Maria Deipara Virg.* lib. 1. c. 7. Bernardum ita omni labe purgat: *Quid illum facturum fuisse putemus, si hoc nostro saeculo vixisset, quo tot Ecclesiae una cum Romana conjunctae non solum in unam, eamdemque sententiam; sed etiam in dicti festi celebrationem tanto consensu conspirant?*

Attamen auctoritas Divi Bernardi refragantis non tanta fuit, ut impediret, quominus statim *fere per totam Galliam devotissime ab omni Christiano percelebraretur populo*, uti scribit Atto Prior Monasterii S. Petri de Regula in *statuto* de festivitate eadem solemniter celebranda, edito anno 1154. Quin et publicam cum pompa processionem in ejus honorem

Ipse Leo Nonus prior inter sacra recenset (32)
Ast velut Eois cum primum surgit ab oris
Lux, tenuis rutilat, Phoebo at veniente coruscat,
Promicat et longe, medio cum constitit Orbe;
Splendidiore micat sic lumine stella Iacobi.
Dunsius ille acer, quamvis juvenilibus annis (33)
Virginea suffultus ope, haec caelestia dona
Argumentorum tanta vi, ac pondere fixit;
Doctorum ut veneranda cohors, totusque Senatus
Parisiis, vel Sorbona, cunctisque Lyceis
Immunem vitiis, primaeva ac labe Mariam
Decernant fore cunctis uno ore docendam:

---

factam fuisse legimus in Chronico Rothomagensi ann. 1197.

(32) De Synodo Moguntina habita anno Christi 1046. praeside Leone IX. et adstante Henrico Imperatore verba facit Christianus Lupus, quem legas, si lubet; extat in magno Belgii Chronico hoc Synodi istius decretum: *Synodus Moguntiae Generalis celebratur in praesentia S. Leonis Papae, et Henrici Imperatoris, in qua inter alia instituitur festum Conceptionis B. Mariae Virginis.*

(33) Ioannes Duns Scotus, Divi Francisci regulam secutus, Guilielmum Varronem Anglum audiit, miro ingenii acumine, juvenilibus annis, cum tres et triginta annos vixerit, immaculatae Virginis Conceptionis acerrimus propugnator fuit. Nam lib. 3. Sent. dis. 18. n. 13. tuetur: *B. Maria Virgo Mater Dei nunquam fuit actualiter inimica ratione peccati actualis, nec ratione originalis; fuisset tamen, nisi fuisset praeservata.* Nec tantum privatis concertationibus id asseruit, sed etiam referente Calvello *Rosar. Saec. XIV. Iussu Summi Pontificis habita solemni disputatione coram Facultate Parisiensi, praesentibus Apostolicae Sedis legatis, de immaculata Conceptione tanta ingenii subtilitate, tanta solutionum perspicuitate omnia adversa argumenta mira dexteritate confregit, et repellit: suamque etiam sententiam de Conceptione Mariana, ipsius Mariae fretus auxilio, argumentorum pondere, tot, tamque urgentibus rationibus comprobavit; ut celeberrimam illam Facultatem Matrem Universitatum in suam piam traxerit sententiam, quae in glorificationem nomine Doctoris subtilis ipsum condecoravit.* De hac historia legendus Cardinalis Pallavicino *Storia del Concilio di Trento* lib. 7. c. 7. n. 11. e 12. Bosius *de Signis Ecclesiae*, et alii.

Turbeturque gradu quicumque ambagibus ausit
Numinis intactae genitrici adspergere noxam (34).

---

(34) Vasquez disput. 117. Part. 3. cap. 2. ita scribit: *A tempore Scoti non solum apud omnes Theologos Scholasticos, sed etiam apud omnes Christifideles ita percrebuit* (haec sententia de immaculata Virginis Conceptione) *et cum hominum saeculis inveteravit, ut nullus jam ab ea deduci, ac dimoveri possit.* Praestet autem de Academiarum sententia audire Carolum Passaglia *De immaculato Deiparae semper Virginis conceptu*, Prolegomen. n. 19. « Quid « vero Theologicae facultates, et Academiae? Ne unam « quidem ex illis proferre in medium licet, quae infectam, « depravatamque originis labe conceptionem Virginis docue- « rit. Quin imo quotquot extiterunt, et existunt omnes Pari- « siensis, Coloniensis, Moguntina, Complutensis, et ne sin- « gulas numerando referam, Salmanticensis, hanc sibi de- « mandatam provinciam existimasse videntur, ut piam sen- « tentiam expolirent, expolitamque defenderent. Hoc vidit « Bartholomaeus Medina, qui propterea anno 1578. de pia « sententia loquens his plane verbis usus est: *Suffragantur « huic sententiae* omnes *Universitates studiorum, in qui- « bus viri docti, et Magistri sequuntur hanc sententiam, « et maxime schola Parisiensis, reliquarum parens, et ma- « gistra.* Ita vero Academiae suam piae sententiae assen- « sionem adjecisse constat, ut non in eos solum animadver- « terint, qui illam impeterent, dictorumque correctionem, « retractationemque imperarint; sed conceptis praeterea vo- « tis, pronunciatisque juramentis sancte promiserint, omnem « se daturas operam, ut pia sententia unice floreret, et ubi- « vis gentium dominaretur. » Hactenus ille. Vide etiam Devera Op. cit. Dissert. 3. c. 7. Tantis autem auctoritatibus coronidis loco addimus Concilii Basileensis decretum sessione 36. quippe quod a multis Episcopis totius Orbis, re mature perpensa, fuit perscriptum anno 1439. « Nos diligenter in- « spectis auctoritatibus, et rationibus, quae jam a pluribus « annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinae « coram hac sacrosancta synodo allegatae sunt, aliisque et- « iam plurimis super hac re visis, et matura consideratio- « ne pensatis, doctrinam illam asserentem gloriosam Virgi- « nem Dei Genitricem Mariam, praeveniente, et operante « Divini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter sub- « jacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab « omni originali, et actuali culpa, sanctamque, et imma- « culatam, *tamquam piam, et consonam cultui Ecclesia- « stico, fidei catholicae, rectae rationi, et sacrae scriptu-*

Hinc Sixtus, Petri Cathedram qui nomine Quartus (35)
Sustineat, festum statuet bonus, atque profanum
Obstruet os; firmumque Patres voluere Tridenti (36);

« *rae, ab omnibus catholicis approbandam fore, tenen-* « *dam, et amplectendam et definimus, et declaramus, nul-* « *lique de cetero licitum esse in contrarium praedicare,* « *seu docere.* » Cui quidem decreto assensa fuit Synodus Avenoniensis anno 1457. et Parisiensis Facultas.

(35) Sixtus IV. nihili, ut par erat, habito Synodi Basileensis decreto, quippe quae illegitima evaserat, refragante Eugenio IV. suam edidit Constitutionem *Cum prae excelsa* datam Calendis Martii 1476. in qua edixit celebrandum Conceptionis Mariae festum cum Officio, et Missa, atque indulgentias impartitus est iis, qui Officio et Missae adessent tum ipsa die 8. Decembris, tum per Octavas. Alia autem Constitutione *Grave nimis* data 4. Sept. 1483. anathemati subjecit eos, *qui ausi fuerint* asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet *gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen, vel peccatum incurrere mortale; cum non dum sit ab Apostolica sede decisum.* Etiam tertiam Constitutionem edidit, de qua Devera in Prologo Op. cit. pag. XIV.

(36) Cum Concilium Tridentinum gravissimos errores tunc temporis grassantes esset profligaturum, haud censuit immorandum in discutienda quaestione, quae alicubi fervebat, salva fide, inter Theologos de immaculato Virginis Conceptu. Hinc Sessione V. firmata doctrina de peccato originali, quo omnes ex Adam progeniti inficiuntur, haec subjunxit: *Declarat tamen haec ipsa sancta Synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam, et immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem; sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papae IV. sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.* Vide quae de hac quaestione agitata fuere apud Pallavicinum *Storia del Concilio di Trento* lib. 7. c. 7. Quae vero somniavit Launojus de interpolatione hujus declarationis in opusculo *Praescriptiones de Conceptu B. M. Virginis*, coufutata doctissime videas in opere Rothomagi edito 1709. sic inscripto: *Rifutazione di un libro stampato l' anno 1676, che ha per titolo: Prescrizione toccante la Concezione della Madonna.* Legendus etiam est Benedictus XIV. in *Feste della B. Vergine* Cap. XV. §. 2.

Et Pius (37), et Paulus (38), Ghisius (39), Ludovisius
(heros (40).
Hinc Reges, queis Catholicae stat credita cura

---

(37) S. Pius V. sua Constitutione data pridie Cal. Decem. 1570. *Super Speculam*, confirmatis Bullis Sixti IV. et Tridentina declaratione, vetuit sub gravibus poenis, ne quis *in popularibus concionibus, vel ubicumque promiscua virorum, et mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiae alterutra parte disputare, rationibus, vel doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, et contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa quaestione cujusvis pietatis, aut necessitatis praetextu vulgari sermone scribere, aut dictare praesumat... Caeterum quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit, oppositaque sententia condemnata; liceat viris doctis in publicis Academiae disputationibus... nec scandali ulla subest occasio, de illa quaestione disserere... dum tamen neutra veluti erronea praedicetur, serventurque illa omnia, quae a Sixto Praedecessore nostro statuta sunt.*

(38) Paulus V. altera Constitutione *Regis Pacifici* sub annum 1616. decrevit, *ut in posterum, donec articulus hujusmodi a Sancta Sede Apostolica fuerit definitus... non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, et aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali... Per hujusmodi tamen provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus praejudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, et terminis, in quibus de praesenti reperitur.*

(39) Alexander VII. antea Fabius *Ghisius* Constitutionem dedit *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* 1661. qua cavit, ut, statuto festo, et Officio Conceptionis Mariae, nullus audeat *asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum Originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen, aut mortale peccatum incurrant, cum a Romana Ecclèsia, et Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus.*

(40) Gregorius XV antea *Alexander Ludovisius* anno 1622. vetuit, ne quis *sermonibus privatis, et scriptis audeat asserere, quod beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen quibus a Sède Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum* (quod concessum fuit Patribus Ordinis Praedicatorum decreto ejusd.

Relligionis, amant ferventia vota, precesque
Fundere Pastori populorum, dogmate sacro
Virginis intactae firmet sententia vitam.
Vos equidem vidit claros pietate, Philippi, (41)
Te, Carole, hispana sceptrum regione tenentes (42).
Irrita vota licet fierent sua, non tamen ipse
Detrectas, FERNANDE, PIUM rogitare benigne, (43)

---

28. Iul. 1622). *Per hoc tamen Sanctitas Sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec et ullum prorsus praejudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, et terminis, in quibus reperitur... Mandat, ac praecipit, ut in sacrosancto Missae sacrificio, ac divino Officio celebrandis tam publice, quam privatim, non alio, quam Conceptionis nomine uti debeant.*

(41) Philippus III. apud Paulum V. et Philippus IV. apud Gregorium XV. missis ab Hispania legatis, studiosissime egerunt, ut tantum dogma ab Apostolica Sede sanciretur; sed minime censuere Pontifices tempus adesse. De his legationibus legendus Lucas Wadingus in suo libello Lovanii edito 1622. cui titulus: *De Legatione Philippi III. et Philippi IV. ad Paulum V. et Gregorium XV. pro definienda controversia de Conceptione Virginis.* Philippus etiam V. Clementem XII. rogavit datis litteris V. idus Oct. 1732.

(42) Carolus III. Siciliarum Rex tum munificentia, tum pietate omnibus facile praeferendus, litteris datis Septimo Calendas Iulias MDCCXLVIII. Benedictum XIV. Pontificem omnium doctissimum enixe precatus, ut tantum dogma sancire Apostolica auctoritate dignaretur. Sed temporum circumstantiis se prohiberi fassus est Pontifex sanctissimus, quamvis pietate in Virginem ferveret, quam qui maxime.

(43) Ferdinandus II. Utriusque Siciliae Rex Avita pietate spectandus, ac prudentia vere singulari, altero post saeculo ab Atavo Pium IX. summo studio est obsecratus, ut, ad pietatem fidelium in Virginem Matrem alacrius fovendam, tantam Deiparae praerogativam Apostolica auctoritate inter Dogmaticas Sanctiones referre dignaretur. Vide ejus Epistolam sub finem anni 1848. cum 40. Episcoporum postulationibus ad Pium IX. missam, et quam studiose egerit pro tanta definitione in libello, cui titulus: *Cenni sull' immaculato Concepimento di Maria sulla sua dommatica definizione. Nap. 1854.*

Quare Sanctissimus Pontifex datis litteris Cajetae 2. Febr. 1849. ad totius Catholici Orbis Episcopos, antequam tantum

Annuat ut tandem votis, precibusque Senatus
Catholici patrum: tu omnes felicior ante.
Nam rata vota Deus volet. Armorum ingruet horror
Christicolas inter, vindex et Numinis ira
Fulmina dejiciet gentes stratura protervas;
Et Cholerae truculenta lues populos vastabit.
Tunc Eesther speciosa Dei deliniet iram,
Cerneturque caput Regis diademate cinctum;
Non etenim pro se lata lex mortem minitantis.
Eja age, sume animos, Caelique opis accipe pignus,
Hanc albam vestem, fiant qua sacra decenter.
Eveniunt, longus saeclorum vertitur ordo,
Quod fuit optatum millenos amplius annos
Ecce Pius Nonus, toto plaudente Senatu
Pastorum, afflatus divino Pneumate sancit:
Totius immunem culpae vel origine prima
Mariam IESU pietate fuisse, tenendum (44):
Plaudat io! tellus Jesu, Matrisque triumphis,
Stridat et aeternum Serpens protritus Averni.

---

opus absolveret, sic eos est affatus: *Quamobrem egregiam vestram pietatem, atque episcopalem sollicitudinem magnopere excitamus, vobisque etiam, atque etiam inculcamus, ut quisque vestrum pro suo arbitrio, ac prudentia in propria Dioecesi publicas preces indicendas, ac peragendas curet, quo clementissimus luminum Pater nos superna divini sui Spiritus luce perfundere, numine afflare dignetur, ut in tanti momenti re illud consilium suscipere valeamus, quod ad majorem tum sancti sui nominis gloriam, tum beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere.*

(44) Id maturo consilio absolutum videmus a Pio IX. qui, indicto per tres menses Iubilaeo toto Orbe terrarum, publicisque Ecclesiae totius precibus, atque Episcoporum postulationibus, ac suffragiis expensis, et multorum totius Orbis Episcoporum conventu suffragante; tandem VI. Idus Decembris 1854. Catholicum uti Dogma, immaculatum Virginis Mariae conceptum habendum decrevit sua Constitutione *Ineffabilis*.